FELICITAS CONSTANTIÆ COMES,

Seu

T I T U S.

T R A G OE D I A

à Perillustri Oratoria Juventute

Almæ Academiæ & Universitatis Vilnensis

Societatis JESU

A C T A,

Feriîs Bacchanalibus,

1749.

ARGUMENTUM.

TITUS nobilis Heros, Christianus, Patriâ Japon, Regi Bungi, multis nominibus carus, sola religione non placebat. Rex ut à Christi Sacris eum abduceret, omnibus exhaustis artibus, metu concutere decrevit, ut vinceret, & servaret. Re igitur deliberatâ, petit primùm, dari sibi, ab eo juniorem filium, nomine Matthæum, cui, aut fidem, aut vitam eripiat. Morâ temporis interjectâ, mittit ad Titum, qui nunciet ereptam filio vitam, eò, quòd religio ipsi eripi non potuit; ut filiam ad se mittat, imperat. Hanc etiam parvô exactô temporis spatiô, suppliciô affectâ compositò divulgat. Simili consilio, filium natu majorem & uxorem ipsi eripit. Explicari non potuit, miserrimi Patris, dolor, qui tot victimas furenti Tyranno coactus dedidit. Ad extremum jubetur ipse Titus adesse, & caput suum neci offerre; quod cum alacer præstaret, insolita virtute perculsus Rex feralem scenam subitò vertit, Uxorem & liberos, salvos & incolumes sistit, omnesq; laude multâ ornatos, cum amplissimâ retinendæ religionis potestate dimittit. *P. Juventius in Historia Societ: Pro licentia Poëtica quædam omittuntur, quædam præter veritatem Historicam adjiciuntur.*

PERSONÆ.

MORINDONUS Bungi Rex.
TITUS.
SIMON.)
MATTHÆUS.) Titi filii.
TITUS.)

NOVINANGA Titi amicus, superstitioni deditus.
JUSTUS amicitia & Religione cum Tito conjunctus.
EPHEBUS REGIUS.
MILITES.

)1(PROLO-

PROLOGUS.

Virtus afflicta, non victa.

Actio Ludicra.

ACTVS 1mus.

Scena 1ma. SImon, Matthæo narrat rumorem in aula spargi, Patrem suum Regiis blanditiis victum, à Christo defecisse, quam de Tito famam Justus superveniens confirmat.

2da. Simon & Matthæus Patris sui defectionem deplorant; quid sibi agendum, expendunt.

3tia. Patrem de defectionis crimine filii arguunt. Ille famâ falsâ, eos deludi agnoscens, ut filiorum constantiã probet, responsa dubia reddit, confirmatq; Titum à Christo re vera defecisse. Filii pedibus Patris affusi obsecrant, ut consiliũ mutet, crimen expiet.

4ta. Easdem obsecrationes Justus geminat; additq; cum preces pro amico ad Christum funderet, levi se somno correptũ vidisse Titum multis vulneribus confossum, & iam iam morientem, subitò sanatũ esse. Titus errorem detegit, famam hanc non de se, sed de filio suo Tito (qui ad aulam Imperatoris Dayphusanæ commoratur,) fuisse dixit. Se verò, in fide Christi, esse & fore cõstantem.

5ta. Rex amicè Titũ hortatur, ut Christi sacra deserat. Nihil proficit. Jubet Novinangã, ut exequatur ea, quæ secum secretò cõstituerãt.

6ta. Novinanga unum è filiis á Tito dari postulat, cui Rex aut Christum, aut vitam eripere constituit.

7ma. Titus tam acerbo mandato perculsus, dolore afficitur. Uterq; filiorum pro se decus gloriosæ mortis postulat. Minor natu destinatur, & ad Regem abripitur.

8va. Titus coram Justo ereptum sibi natum queritur.

9na. Justus ex Novinanga quærit causam Regii animi semper in Titum propensi, nunc subitò mutati. Respondet Novinanga Titum & fuisse, & esse Regi carissimum; cujus rei singulare documentum hodierna die, omnibus palàm fore.

10ma. Justus Novinangæ responsa expendit, atq; in eam suspicionem delabitur: Titum ficto animo Religionem Xtianam profiteri, re vera autem propter amicitiam Regis religioni renunciásse, filium ipsi ex composito ereptum esse, &c. Actio

Actio Ludicra.

CHORUS Imus.

Cadunt innoxia tela.

Actio Ludicra.

ACTUS 2dus.

Scena Ima. Redux ex aula Dayphusamæ Titus fil. desertæ religionis à Patre arguitur. Pervicax puer nihil comminationibus Patris movetur.

2da. Novinanga Matthæum cæsum nunciat, hortatur Titum, ut Regis voluntati cedat, Christum deserat, id ni faciat, alterum filium Simonem, pari supplicio afficiendum minatur. Simon se ultro ád necem offert, & abducitur.

3tia. Duobus filiis orbatus Titus dolori indulget; maximo verò moerore ex impia tertii filii à Christo defectione, afficitur.

4ta. Titus, filium suum Titum, ad Christianorum castra reducere conatur irrito successu.

5ta. Justus ex Novinanga audit: Primi in Regno Ministri munus Tito à Rege deferri, & hoc ipso, suspiciones suas auget.

6ta. Novinanga Titum amicè à Rege compellat, munus supremi ministri ipsi conferri, nunciat; ut hoc secundissimæ voluntatis Regiæ pignore, filiorum jacturam sarciat.

7ma. Titus tam subitas fortunæ vices expendit. Tum

8va. Sibi delatum honorem Justo narrat: Vulnerari quodammodo se & sanari (quod ille in quiete vidit,) dicit. Severo vultu & sermone tanquam fictus Christi cultor á Justo accipitur.

9na. Titus anxius & moerens, multa secum queritur.

Actio Ludicra.

CHORUS 2dus.

Miscentur mediis gaudia luctibus.

Actio Ludicra.

ACTUS 3tius.

Scena Ima. Titus fil: suæ impietatis à Patre petit veniam, tali ostento, se perculsum dicit: Cum solus in conclavi versaretur, visum à se Virum venerandum, extrema sibi, ni superstitionẽ defereret, minitantem. Hinc lætitia Patris.

2da.

2da. Novinanga rogat atq; obſecrat Titũ, ut Regi gratificetur, Chriſto nuncium remittat, ſed operam perdit. Cognoſcit deinde Titum fil: ſuperſtitionem deſeruiſſe, eumq; ad Regem rapi jubet, ut pari cum fratribus afficiatur pæna.

3tia. Acerbiſſimo dolore ex iactura filiorum tabeſcentem Titum, Novinanga rurſus precibus, minisq; maximis, de propoſito dimovere contendit. Surdâ aure à Tito excipitur. Quam ob rem extremum illi ſupplicium imminere comminatur.

4ta. Novinanga Juſtum hortatur, ut, ſi amicum ſuũ incolumem præſtare velit, ſvadeat ipſi: ſi religionem Chriſtianam ex animo non dimittere conſtituit, ſimulet ſaltem ad ſpeciem Regis voluntati ſe ceſſiſſe.

5ta. His auditis Juſtus, ſuas ſuſpiciones damnat.

6ta. Juſtus à Tito gratiam delicti, ſuarum nimirum ſuſpicionum, quas animo figurabat, ſibi fieri poſtulat. Multis utrinq; animi ſignificationibus certatur.

7ma, & 8va. Titus evocatur ad Regem. Juſtus ſe ſocium adjungit; tum per mutuas cohortationes ad fortitudinem Chriſtianis dignam ſe excitant generoſi Athletæ.

9na. Morindonus cum Novinanga multa de Titi ejuſq; filiorum conſtantia differit.

10ma. Adeſt Titus. Rex quà minis, quà blanditiis, fidem illi eripere tentat. Jubet acinaces in caput, in pectus Titi dirigi. Ille conſtantiſſime Chriſtum profitetur.

11ma, & Ultima. Rex conſtantiam admiratus, mutat feralem ſcenam, liberos ſalvos & incolumes reſtituit. Omnes multâ laude ornat, ampliſſimam retinendæ religionis poteſtatem impertitur. Summum honorem confert. Gratiæ aguntur Regi. Mutua omnium gratulatio. Ingeminat Titus, tot ſe vulneribus confoſſum, nunc ſubitò ſanatum eſſe, &c.

EPILOGUS.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?

Ad M.D.T.O.M. G. B.V.M. S. L.O.Ç.Honorem.